

## DE AGILITATE.

**A**gilitas opponitur tarditati. Tarditas & celeritas grauitatis & leuitatis mensura est: quæ naturæ momenta sunt, quibus corpora secundum naturam se habentia, aut à medio aut ad medium mouentur, idque cum debita temporis mora. Sic se habet status huius naturæ, quod probè constat. A quo longè abesse statum vitæ æternæ iam centies dictum est.

Itaque etiam *δυσχερεια* & difficultatem hanc, quæ corporibus mortalium euenit ratione grauitatis contra mouentis vel moti liberum arbitrium sublatum iri, *υπεροχη* excellentia vitæ æternæ postulat. Cuius rei indicia suggerit nobis S. sanctus haud tenuia. Nam quod corpora nostra in motu, prout is vel celer vel tardus est, grauitate & ponderositate sua defatigatur, id ad infirmitates huius vitæ pertinere neminem esse puto qui ambigat.

Cum autem infirmitas omnis omnesque difficultates desiturae sint, & corpora reditura sint in virtute, necesse est quoque corpora gloriosa supra sortem huius vitæ tarditatis & omnis molestiæ in motu expertia esse futura. Atque hoc euinci posse videtur ex verbis *Sapientiae cap. 3. v. 7.* vbi dicitur: *Iusti tanquam scintilla in arundinetis discurrent:* quibus verbis pernicitas, quæ in igne summa est, corporibus gloriosis tribuitur. Idem ex actu quo Christus ambulauit super aquas & in Petro eandem vim verbo ad tempus exercuit Matth. 14. v. 25, 29. tanquam